

IO SECT. I. DE ARTE RELAT.

puncti controuersi et quae de eo inter illas acta, proponere debet (§. 1.) Complexus scriptorum tam partium, quam iudicis de iis, quae inter illas in iudicio intuitu rei controuerlae gesta, constituit ACTA per eminentiam sic dicta. Ex theoria iuris satis superque constat, iudici alia, quam ex aetis hausta notitia, quoad res facti, uti non licere. Hinc referens argumenta ista ex Actis proponat necesse est, quod quidem sine praevia horum perlustratione fieri nequit; quam et varia compendia et horum applicandorum habitum admittere, ideoque LECTIONIS ACTORVM ARTEM dari et partem artis relatoria in genere constituere nemo negabit.

§. 3. Vix fieri potest, ut in causis prolixioribus relatio bene absoluatur, nisi relatus ex aetis ea, quae partes intuitu puncti decidendi inuicem protulerunt, quaeue iudicium ad ea fecit, memoriae subleuandae causa omni, qua fieri potest, breuitate, in chartam coniiciat, additis foliis vel numeris Actorum, ubi illa plenius occurunt. Series horum notaminum dicitur EXTRACTVS ACTORVM, cuius scite et compendiose conficiendi plures quoquedantur regulae, quae si habitualiter exercentur, ARTEM ACTA EXTRAHENDI constituunt; ergo et hanc artem sub arte relatoria in genere comprehendi nemo in dubium vocabit.

§. 4. Scite lectis atque extractis aetis bene instructi feliciter ad ipsam accedimus relationem,